

Xa
4606

PARENTALIA
IN
MEMORIAM
SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ
DOMINÆ
JOHANNÆ
WILHELMINÆ

*John Joh. ...
h. Due Jag
Wesey*

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM ANGA-
RIÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAFIE THURINGIÆ MARCHIONISSÆ MISNIÆ
ET UTRIUSQUE LUSATIÆ PRINCIPIS COMITIS HENNEBERGÆ COMI-
TIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ DOMINÆ
RAVENSTEINIÆ &c. &c.

PRINCIPIS AC DOMINÆ NOSTRÆ QUOAD VIXIT,
CLEMENTISSIMÆ

D. IV. JULII ANNI CURR. PIE BEATEQUE DEFUNCTÆ
APPARATA
ET

ORATIONE SOLENNI

D. I. AUGUSTI IN ILL. AUGUSTEI AUDITORIO MAJORI
PERAGENDA
INDICIT

ET UT

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ
MINISTRI UTRIUSQUE REIPUBL. PROCE-
RES PATRONI ET FAUTORES CIVESQUE
ILL. AUGUSTEI

FREQUENTER SOLENNITATI HUIC PARENTALI
INTERSINT

EA QUÆ FAS EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE
ROGAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS, SS. TH. B.
CONSIL. SAXO-WEISSENF. ILLUSTRIS AUGUSTEI
RECTOR ET P. P.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA





Inter singularia Specialissimæ Providentiæ Divinæ documenta in populo Dei merito refertur *COLUMNA NUBIS ET IGNIS*, cujus prima mentio facta est Exod. XIII, 21. in Historia peregrinationis Israelitarum in deserto, in qua ejus in eductione populi in terram Canaan usus esse cœpit, isque post illam cessavit. Ut vero de ejus materia, forma, motu, usu, duratione & ratione typicè melius judicare possimus, illa congeram Scripturæ loca, quibus in suis opinionibus confirmandis interpretes & Sacræ Philologiae Cultores uti solent. Sunt illa Exod. 13, 21. 22. *Jehovah autem ibat coram iis inter diu in columna nubis ad ducendum illos in via: ac noctu in columna ignis ad lucendum illis, ut irent diu noctuque.* v. 22. *Non recedebat columna nubis inter diu, nec columna ignis noctu coram populo.* Exod. 14, 19. 24. Porro profectus est Angelus Dei incedens ante castra Israelis, & iuit post eos, profectusque est columna nubis, quæ ante eos & stetit pone illos. v. 20. venitque inter castra Ægyptiorum & inter castra Israelis, ut esset nubis & tenebræ, & illustraret noctem, nec appropinquarent isti ad hos tota nocte. v. 24. Factum est in custodia matutina, ut prospiceret Jehovah ad castra Ægyptiorum in columna ignis & nubis, & perturbaret Castra Ægyptiorum. Exod. 33, 9. 10. Cum Moses intravit in tentorium, factum est, ut descenderet columna nubis & staret ad ostium tentorii, loquereturque (Jehovah) cum Mose. v. 10. Ubi vero vidit omnis populus columnam nubis stantem ad ostium tentorii, surrexit omnis populus & incurvavit se ad ostium tentorii sui. Num. 10, 34. Nubes Jehovah erat super illis inter diu cum proficiscerentur à castris. Num. 12, 5. Tum descendit Jehovah in columna nubis, stetitque ad ostium tentorii ac vocavit Aaronem & Mirjam. Num. 14, 14. Ut nubes tua steterit super illis atque in columna nubis tue eas coram iis inter diu & in columna ignis noctu. Deut. 1, 33. Jehovah Deus vester ibat ante vos in via, ad investigandum vobis locum, quo castrametaremini, in igne noctu, ad monstrandam vobis viam, in qua incederetis, at in nube inter diu. Deut. 31, 15. Tum apparuit Jehovah in tentorio, in columna nubis, stetitque columna nubis super ostio tentorii. Nehem. 9, 12. 19. Et in columna nubis duxisti eos inter diu & in columna ignis noctu ad illustrandam ipsis viam in qua irent. v. 19. Columna nubis non recessit ab illis inter diu ad ducendum eos in via, & columna ignis noctu ad illustrandam illis viam, in qua irent. Psalm. 99, 7. In columna nubis sequutus est ad eos. Pl. 105, 39. Expandit nubem in tegumentum & ignem ad illuminandam noctem. Sap. 10, 17. Deduxit eos in via admirabili & fuit ipsis in tegumentum diei & in flammam astrorum noctu. Sap. 18, 3. Pro quibus igne ardentem columnam, ducem quidem ignotæ peregrinationis, solem vero innoxium magnificæ peregrinationis præbuit. Sap. 19, 7. Castra obumbrabat nubes. 4. Esdr. 1, 14. Lucem vobis per columnam ignis præstiti & magna mirabilia feci in vobis. Huc quoque referuntur illa Pauli. Cor. 10, 1. 2. Non volo vos ignorare fratres, quod Patres nostri omnes sub nube fuerint & omnes per mare transverint. v. 2. Et omnes in Mosen baptizati fuerint in nube & mari. Hac sunt illa loca, quæque hinc inde colligere & uni obtutus obversare volui. Sed in præsentia non est mei instituti, ut omne hoc de Columna nubis & ignis argumentum exigua Programmatis hujus brevitate completar: facile enim, si discutere ea, quæ de hac columna nubis & ignis ejusque materia, forma, motu & usu disputantur, vellem, integrum complere possem librum. Eaque ipsa CL. HERMANNI von der HART, Lingu. Orient. in Academia Julia Professoris sententia, qua columnam nubis & ignis nihil aliud fuisse quam ignem sacrum in altari quodam portatili accensum & conservatum & Ductore Aarone comite portatum censuit, prolixiorem exigeret considerationem. Proposuit Cl. HARTIUS hanc suam sententiam in Ephemeridibus p. 90. sq. h. m. Perpetuus hic ignis sacer in toto itinere non extinguendus, exercitum Aarone comite semper antecedens, inter diu spectantibus & eminus intuentibus

ribus denso suo fumo nubem oculis objecit. Ut viderent ante exercitum *fimum ex ara ascendentem*. Ignis enim ardens, fumo cinctus, interdum eminens conspicitur non potest, ob splendorem solis, qui ignis lucem superat, adeoque visui, maxime remotiorum, subducitur. Neque superest, quod oculos feriat, præter densi fumi nubem, in solis luce conspicuam. *Nocte* vero, in tenebris, ignis clarissime eluxit, ascendens ex ara in fumo. Atque ex hoc *sacro igne*, ab Aarone, rerum sacrarum & cultus divini autilite atque præside, nutrito, cum *interdum* conspiceretur *fimus ascendens*, dicebatur *columna nubis*. Quod fumus tanquam *nubes* densa, ex ara instar *columnæ* ascendens, ab omnibus conspiceretur. *Nocte*, cum ex fumo clarius effulgeret ipse ignis, ex ara *ascendens*, dictus fuit *columna ignis*. Quod ignis flammam in aërem instar *columnæ* mitteret ac oculos spectantium perstringeret. Sicuti ignis, ex incendio urbis Gibæ cum fumo ascendens, dicitur *columna fumi*, Judic. XX, 40., Eamque sententiam suam pluribus exornavit & defendit in primis adversus *Max. Reb. Dn. CASPARUM CALFARIUM, Superint. Zellerfeld.* aliosque in Ephemerid. Illustratis & vindicatis &c. Sed diffiteri non possum *Cl. Hardtii* sententiam semper mihi pro tanta tamque gravi & toties repetita descriptione *Columnæ nubis & ignis* in II cc. nimis exilem & tenuem visam esse. Quia autem pro sua opinione retinenda sapius coxit atque recoxit animus non est de novo apponere, nec datur in præsentem locus. Attamen majus Prodigium mysteriumque in *Columna nubis & ignis* reconditum fuisse cenfeo, quam quod exhauriat ignis sacer: qui nec paratus ab Aarone legitur, nedum portatus. Nulla præterea est mentio *aræ*, aut accensi ignis, aut facti fuitus in ara, aut Virorum aram portantium, quæ & alia tacita non fuissent. Quin imo sacrum talem ignem, qualis exiisse dicitur à Domino & in altari conservari iussus in Lev. 6, 9. 12. collato cum c. 9. 14. antea tempore Patriarcharum & ante cultum Leviticum in deserto, aliquot mensibus post exitum ex Ægypto jam elapsis, constitutum, in ara conservatum esse, & sic vel obtinuisse in Ægypto, vel sub exitu hunc morem servandi ignem in ara revocasse Aaronem, & cum tali ara portatili iter ingressum esse, nulla Scripturæ litera probari potest. Certe mandatum ea de re Aaron accepisset, nec tacitum fuisset. Nam quod iussit Deus Pharaonem dimittere populum, ut sacrificaret ipsi in deserto, rem hanc non conficit, nec probat, Mosen & Aaronem antequam exierunt ex Ægypto parasse Aram portatilem & in eo ignem accendisse, sacrum fecisse & perpetuo adjectis lignis conservasse, & in exitu prætulisse, eoque duxisse populum eumque vocasse Deum Columnam nubis & ignis. Hæc omnia dicuntur, non autem probantur; sed contrarium potius ex nova ignis Altaris sacri ordinatione Lev. 6, 12. colligitur. Et quæso quem terrorem putaveris incutere eo tempore potuisse Ægyptiis illum, si in portatili ara exiguum ignem & fumum qualemcunque vidissent. An is exiguus ignis & fumus retinere forte potuisset Ægyptios, quo minus adoriri conati fuerint egredientes ex Ægypto Israelitas. Exod. 14, 19. 20. Ut alia sileam in quibus maxime usus Columnæ hujus nubilæ & igneæ conficit. Peculiare potius Phænotemon fuisse putamus in usum ductionis populi per desertum à Deo factum & per illos migrationis & oberrationis in deserto annos 40. conservatum: in quo præsens fuit Angelus Jehovæ, Filius Dei, omnis protectionis Israelitarum ex Ægypto in terram Canaan Dux & Auctor. Alia plura legantur apud alios *Lundium, Vitrinam* &c. Sed idem Salvator Sanctissimus, DEI Filius, Dominus noster J. C. adhuc hodie *nostræ peregrinationis, Dux & Auctor* est. Ipse nobis *Via, Veritas & Vita*. Hunc Ducem observare & sequi tenemur, quotquot ingredi in cœlestem Canaan cupimus. Is in Verbo suo nobis columna est. Is præsens nobis est in nube arumnarum & igne probationis. Is nobis in columna nubis & ignis Protector est adversus omnes hostium tam corporalium quam spiritualium insultus. Is in omni vita nobis præsidium & auxilium est, & in omni necessitate nobis prospicit. O ergo fortunatos & terque quaterque beatos peregrina-

FXa 7606

grinatores, qui hunc Ducem in columna nubis & ignis ut olim ita & hodie in Verbo suo columna & stabilimento veritatis nobis præsentem in vita & morte pie sequuntur, vocem ejus audiunt eidemque obtemperant. Id gloriari possumus de *Serenissima Principe ac Domina, Domina JOHANNA WILHELMINA, Duce Saxonie, Julie, Clivie ac Montium, Angarie & Vestphalie &c. &c. Principe ac Domina nostra quoad vixit Clementissima.* Per omnem vitam ductum Salvatoris in tramite fidei & pietatis strenue secuta est. *Domino* vixit, *Domino* mortua est & *Domini* tota est & fuit Princeps nostra Serenissima ac Pietissima. In curriculo vitæ ejus omnem paginam facit & complet PIETAS. Ex piis Parentibus nata est & ex Spiritu S. renata, pie educata est, pie vixit & pie mortua est. M. x. ma hæc SERENISSIMÆ nostræ gloria est, superior omni laude & gloria, quæ ex Natalium splendore accipitur. Equidem hoc loco, quod alias fieri solet, apparsit & proluxa commemoratione Ducalem SERENISSIMÆ nostræ splendorem & Gentis Saxonicæ gloriam aliaq; ornamenta & insignia, quibus splenduit, exponere debere & facillime possem: sed in re adeo manifesta & omnium oculis exposita & exteris etiam notissima chartam consumere minus commodum duxi. Quicumque enim norunt, legunt & audiunt SERENISSIMAM nostram e Domo hac Saxonica Weissenfelsensi ortam esse natamque Halæ-Saxonum A. C. 1630. d. 20. Jan. GENITORE Serenissimo Principe ac Domino, Domino JOHANNE ADOLPHO, Divi AUGUSTI, Primatis Germaniæ & Administratoris Pöfßulati Magdeburgici filio, Duce Saxonie, Julie, Clivie ac Montium, Angarie & Vestphalie &c. &c. & MATRE, Serenissima Principe ac Domina, Domina JOHANNA MAGDALENA, Filia Ducis Saxonie, FRIDERICI WILHELMI & MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Electorali Stemmata Saxonico nata, facile apprehendunt antiquam Saxonicæ originis gloriam & genus Divorum Heroum Saxoniorum, in quo & Reges & Imperatores existerunt, & utriusque Sexus Majores omni laude majores. Quorum Decora, Virtutes & ornamenta in hac quoque Domo Saxonica Leucopetrensi nunquam interibunt. Certe virtutum omnium præcipue spiritualium complexus fuit in SERENISSIMA nostra JOHANNA WILHELMINA. Effulsit in illa Fides, Spes, Charitas, Amor Verbi Divini, Gratia & Clementia & Beneficentia, & reliquæ Virtutes omnes, quæ Pietatis nomine veniunt. Ideoque immensum in hac Aula SERENISSIMA reliquit sui desiderium die 4. Julii ex hac vita placidissime beatissimeque discedens, & quidem in ipsa solennitate communi Ecclesiæ nostræ Jubilæa, quæ hoc obitu luctuosissimo tantquam nube fuit obducta, sed nube obtenebrante nos & allucente SERENISSIMÆ nostræ. Ipsa enim SERENISSIMA hac præeunte nube ex nubilis jubilis Ecclesiæ militantis egressa est ad juba cælestia Ecclesiæ triumphantis. Atque ita SERENISSIMAM in nostra Oratione Parentali solennissima sistemus contuendam *ex nubilis jubilis soli egressam ad illustria juba poli.* Omnium ergo Ordinum Aula Serenissima & Civitatis Amplissima Proceres, & quotquot favent Gloriosissimæ Principis Defunctæ Virtutibus rogamus diligentissime, Piissimis Manibus ut hoc officii & pietatis genus præstent, & honoratissima præsentia sua Panegyryn hanc illustriorem reddant. De quo ipsorum favore eo etiam minus dubitamus, quo solennius Ipse SERENISSIMUS Princeps & Nutritor noster Longe Clementissimus hæc Parentalia Serenissima Sorori suæ apparavit & mandavit & Clementissima Legatione sua condecorare decrevit. P. P. Dom. 8. Trin. MDCCCXXX.

LEUCOPETRÆ,

Literis G. A. Legii, Aul. & August. Typogr.

ULB Halle
002 162 857



3

me

15, 55

Xa
4606

PARENTALIA
 IN
 MEMORIAM
 SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ
 DOMINÆ
JOHANNÆ
WILHELMINÆ

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC MON-
 RIE ET WESTPHALIE LANDGRAFIE THURINGIÆ MARC-
 ET UTRISQUE LUSATIE PRINCIPIS COMITIS HENN-
 TIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIE D-
 RAVENSTEINII &c. &c.

PRINCIPIS AC DOMINÆ NOSTRÆ QUO
 CLEMENTISSIMÆ

D. IV. JULII ANNI CURR. PIE BEATEQUE DEE-
 APPARATA
 ET

ORATIONE SOLEMNI

D. I. AUGUSTI IN ILL. AUGUSTEI AUDITO
 PERAGENDA
 INDICIT
 ET UT

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ
 MINISTRI UTRISQUE REIPUBLICÆ
 RES PATRONI ET FAUTORES CUM
 ILL. AUGUSTEI

FREQUENTER SOLENNITATI HUIC PARTICIPARE
 INTERSINT

EA QUÆ FAS EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE
 ROGAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS,
 CONSIL. SAXO-WEISSENF. ILLUSTRIS AUGUSTEI
 RECTOR ET P.P.

